



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacræ Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus Vigesimus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](#)

102 MODUS DECIM. NONUS.

ex carne renovati. Quod olei effusio, seu unicto, significaret in Christo dignitatem Regiam, explicans ep. 140. D. Hier. Sic ait. *Quis typum illius pre-tulerunt, & regnandi confortes dicti sunt, oleo corru-ptibili sunt inuncti.* Hic verò filius DEI, à DEO Patre oleo exultationis, hoc est Resurrectionis, Ascensionis, dominationisq; est delibutus. Nil obstat, quo minus per accommodationem, sensum verborum ad nos convertamus, & intelligamus, nos in Regnum Dei, oleo effuso sanctissimi nominis JESU, tanquam oleo exultationis, Resurrectionis & Dominationis immortalis unctos, ut grati tantæ dignationis, & exaltationis, iteremus cum D. Apostolo sacerdoti Ap. 1.5. *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Regnum,* & sacerdotes, Deo Patri: Ipsi, gloria & imperium, cuius nomen oleum effusum, in sacula luxorum.



MODUS VIGESIMUS.

Interdum, non sententia tantum alterius loci tractatur: sed totum caput, aut Psalmus, intento Evangelii & explicationi accommodatus: ut si de immaculata Deiparæ conceptione dicturus, assumas Ps. 36. *Fundamenta ejus in montibus sanctis,* aut de Resurrectione servatoris & Domini nostri. Psalm. 2. *Quare fremuerunt gentes &c.* aut de Ascensione Psalm. 109. *Dixit Dominus Dominu-*

2369

meo, sede à dextris meis &c. Praxes ejusmodi expositionis habentur passim in Psalmis, unde ejus Exemplum vix est necessarium. Nihilominus pro more sit brevis.

P R A X I S.

Dominica I. Adventus.

Videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna Luc. 21.

Acceſſus & Propositio. Cum qua Potestate, ad judicium se venturum Servator noster, præfixis verbis insinuat, eam ut mundo certiorem faceret, multò ante, servis suis manifestavit. Habet pius animus, quod stupeat, omnes autem, quod timeant: Si de illa, Ilaiam, Ezechielem, Joelem, aliosque Prophetas audiant. Ego unum ex illis Habacucum scilicet, hodiè ad vos, de illa loquentem, produco, cuius verba tantò diligentius expendere debetis, quantò magis omnium interest, timere nunc à judiciis Domini, ne in ipso judicio timeamus.

Confirmatio ex Expositione Cantici Habacuc.

Deus inquit ab Austro veniet, & Sanctus de monte Pharan. Quot verba, tot potestatis magnæ indicia. Nam si DEUS veniet, quis ei comparabitur? Si Sanctus, quis eum arguet? Ab Austro verè veniet, & de monte Pharan: Auster meridiem significat, & tempus maximi in sole ardoris.

G 4 Tunc

Tunc scilicet accendetur velut ignis Zelus DEI,
& dies veniet Malach. 4. Succensa quasi caminus,
erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem
quasi stipula: & inflammabit eos, dies veniens, ait Do-
minus exercituum; adeo, ut non relinquantur in ei-
radix, neq; ramus. De monte quoq; Pharan veniet;
Pharan significat divisionē, apud Lanuram, quā san-
ctus ille, & justus Deus faciet; Separando improbos
à probis, innocentes à reis, afflitos à cruciatibus,
tempus ab æternitate, homines à Deo. Quod ut glo-
riosissimè præstet, operuit cælos gloria ejus, stipanti-
bus undequaque Dominum, Angelorum Exerci-
tibus, & ländis ejus plena est terra, quam innumer-
illi comites occident, lati de gloria Domini sui.
Tantum enim abest, ut de interitu impiorum tri-
stantur; ut potius de justitia DEI gaudeant: & con-
tra impios, simul cum Domino suo armentur: quæ
omnia expressit David Psal. 149. Exaltationes DEI
in gutture eorum, & gladii anticipates in manibus eo-
rum. Ad faciendam vindictam in nationibus, incre-
pationes in populis. Ad alligandos Reges eorum in
compedibus, & nobiles eorum, in manicis ferreis. Vi-
faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est,
omnibus sanctis ejus. Heu peccator? Heu misé-
rande? Quo te tunc vertes tot gladiis stipatus, tot
compedibus territus, cum insuper teste D. Ansel-
de similit: A dextris erunt peccata accusantia, a se-
nistris dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, de-
super iudex iratus, foris mundus ardens, intus consci-
entia urens. Quid inter hæc spectacula non ter-
rificum? Vincit tamen omnia terror judicis, ideo-
que

que splendor ejus ut lux erit. Quis splendor, & qualis lux? de quibus nimirum Apocal. 20. II. Vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum à cuius conspectu fugit cælum & terra, & locus non est inventus eis. Cornua in manibus ejus. Audiant qui exaltant cornu suum, & loquuntur adversus DEUM sublimia; venturum tempus, quo cornua eorum apprehendantur à potentia Dei & confringantur: atque cum cerebro elidantur: Gloriaris de oppresso paupere, Cornua exaltas. Gaudes timeri ab omnibus. Cornua exaltas. Obos cornute? O bestia immanis, quam cæco impetu ageris? Erit, erit tempus, quo videbis cornua tua in manibus, potentissimi ultoris scelerum tuorum, & tutoris orphanorum. Bene etiam intelligitur per hæc cornua, crux sanctissima, quam Judex pro sceptro assumet, aut certè quæ ante thronum ejus constituetur, & tunc ante faciem ejus ibit mors in hoc signo triumphata, & egreditur Diabolus ante pedes ejus, virtute Passionis CHRISTI, conculcatus. Stetit, & mensus est terram. Aspexit & dissoluit gentes. Quæ inde prodigia? stetit, mensus est, aspexit nondum condemnat, nondum fert sententiam & jam montes de his eunt, colles curvantur, aquæ diffugiunt, scinduntur rupes, cælum supplicat, infernus gemit. Ita statim Propheta. Et contritis sunt montes faculti, incurvatis sine colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus. Et iterum. Viderunt te, & dolorerunt montes, gurges aquarum transiit, dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas levavit. Hæc est potestas magna in Evangelio insinuata, hæc

virtus altissimi, quam ratio humana non capit, sed
 fides probat. *Stetit, & mensus est terram: ut omni-
 bus constaret, Domini esse terram, & plenitudi-
 nem ejus, & confunderentur impii, vana spe tem-
 poralium successuum illusi, arguente cuiuslibet con-
 scientia: ubi nunc inanes? ubi fixa in terris fiducia?*
*Si vestræ sunt opes, cur illas non retinetis? si vestræ
 divitiæ, cur vos ab extrema egestate non vindica-
 tis? Asperxit & dissolvit gentes, ut impleatur quod
 dictum est, per Joélem cap. 2. v. 6. A facie ejus cru-
 ciabantur populi, omnes vultus redigentur in ollam.
 Duplex vultus, gravissimè homines confundit, &
 duplex maximè terret. Confundit, vultus testis,
 crimen palam evincens; & vultus, benefactoris
 offensi: Terret vultus Principum in Majestate
 sua, & vultus judicis sententiam in reum forentis.
 Talis erit vultus Domini, super facientes mala.
 Convincet apertè; exprobabit ingratitudinem in-
 excusabiliter. Idem erit testis, judex & vindex, quid
 ni dissolvantur gentes à vultu ejus? sicut dissolvitur
 nix, sole incalecente; ut pateat diu tectus sumus
 immunditiæ, avaritiæ, & quorumvis occultorum
 peccatorum. Fiet id equidem, & factum videns
 propheta, quod, *incurvatis sunt colles ab itineribus
 æternitatis ejus: humiliati superbi, & qui ab homi-
 nibus pro sanctis & justis adorabantur, jam pa-
 tentibus sceleribus, in terram depresso videbuntur.*
*Sed nunquid in fluminibus iratus es Domine? aut in
 fluminibus furor tuus, aut in mari indignatio tua?
 Aquæ multæ, populi multi: flumina labentia, gen-
 tes ut nives dissolutæ. Heu! nihil juvat hic miseri-
 cordia**

cordiæ invocatio : *In fremitu conculcabis terram,
& in furore tuo, obstupefacies gentes.* Hebræa! *In
furore, tritabunt gentes, cuius triturationis esse
potest Exemplum David 2. Reg. 12. qui circumegit
super eos (id est Amonitas) ferrea carpenta, divisit
que cultris, & traduxit eos in typum laterum. Obstu-
pecent gentes, super tantam Mitissimi Domini
severitatem, & si saluti suæ consultum volunt, assu-
mant salutarem, Prophetæ nostri timorem: qui
de se, versu primo, hujus Cantici, ait: *Domine audivi
auditionem tuam, & timui & rursus, eundem timo-
rem prosequens: Audivi, & turbatus est ven-
ter meus, à voce contremuerunt labia mea.* Hic enim
timor salutariter admissus, efficiet, ut tandem ho-
mo ad Deum planè conversus, cum cælum ac terra
turbabuntur, *ficus enim non florebit;* &c. & putredo
ingressa in ossibus ab ira Dei non abscondet, dicere
possit confidenter: *Ego autem gaudebo in Domino,
& exaltabo in Deo JESU meo, Deus Dominus forti-
tudo mea, & ponet pedes meos quasi cervorum: Et su-
per excelsa mea, deducet me viator in psalmis Canentē.**



MODUS VIGESIMUS PRIMUS.

DOGMATICUS sive doctrinalis, quando ex toto
Evangelio, doctrinæ variæ, quæ eodem inclu-
debantur, eruuntur, atque explicandæ probandæq;
assumuntur. Modus hic, est unus ex facilib⁹. Orna-
tur autem & formā sublimiorē sumit, si doctrine, non
sum-